

B. C. D.
DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

VITIO SUBRE-
PTIONIS IN
EXPERIUNDO

Quam
Ex mandato *Ampliff. Senatus Academici*

AUCTOR

CHRISTIANUS PAPKE C. F.

Et

RESPONDENS

JOACHIMUS VON GLAN J. F.


*Publico Bonorum Examini
Submittant.*


ad d. 15. Decembr. Anni MDCCXLIV.
Loco horisque solitis.

A B O A E,

Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Acad. Typogr.

ILLUSTRIS WOLFIUS

 S ist nichts schwerers bey den Erfahrun-
gen / als das man sich dabey nicht et-
was zu erschleichen suche / in dem man seine
urtheile / ja vorurtheile gemeinlich mit dar-
ein menget. Und deßwegen hab ich auch die-
sen fehler unter einen besondern nahmen des
viti subreptionis, oder des erschleichens ange-
merckt / als eine sache / daran man für allen
andern bey Erfahrungen zu denken hat.



§. I.

Varia illa quæcunque demum sint, quæ in rebus quibusvis distingvi possunt, *affectiones* appellantur. Res vero illæ, quarum affectiones in re quacunque alia delineatæ, seu expressæ fuerint *repræsentari* dicuntur. *Repræsentatio* itaque generatim sumpta est expressio affectionum rei unius in altera. Hinc autem *perceptio*, quæ communi omnium contentu pro specie quadam repræsentationis habetur, nihil aliud est, quam rei cuiusvis in mente facta repræsentatio; siquidem res *percipere* dicimur, cum affectiones earundem in mente nostra fuerint expressæ adeoque res ipsas nobis repræsentaverimus. Enimvero res quascunque vel nude percipimus, vel harum perceptionum nobis conscius sumus; quo posteriori respectu *cogitare* dicimur. Inde ergo cogitationes sunt perceptiones, quarum nobis conscius sumus. Sed dicimur *nobis nostrum aliarumque rerum conscius*, quando nos percipientes a rebus perceptis, has vero a se invicem tamquam diversas percipimus. Unde

4
ergo conscientia à Leibnitio apperceptio dicta,
est actus, quo variarum rerum diversitatem perci-
pimus.

Schol. Definitiones hætenus adatas vel Celeb.
Wolffio vel etiam aliis recentioris ævi Philosophis
acceptas referimus, quemadmodum & reliquas te-
re omnes in Dissertatione nostra occurrentes ab
his ipsis mutuati sumus, inque usus nostros con-
vertimus, id quod ingenue hic aperteque fatendum
erat, ne inventionis gloriolam nobis tacendo tri-
buere videremur & sic lectoribus iisdemque censo-
ribus plus quam linceis occasionem crimine nos
plagii compellendi præberemus. Cæteram autē ge-
nio nostro arrident Plinii Psychologici verba. *benignum
esse & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris.*
Quod vero novas definitiones inventiendi forman-
diqve labore hic superledeamus, integras propemo-
dum ut modo diximus, retinentes, quæ apud Phi-
losophos usu jam receptæ & ad amyssin regula-
rum Logicarum probe examinatæ sunt, id vero
vitio nobis tanto minus verti poterit, quo certius
constat, præcepta Logica, quorum nobis sancta
incumbit custodia licentiam Philosophorum defini-
tiones temere mutandi, ut scientis satis utiqve no-
xiam severissime prohibere. *Hinc enim lectoribus sat
difficilis interdum injungitur labor recens proculas defini-
tiones non modo cum antea traditis conferendi, ut ap-
pareat, num idem objectum designent sed easdem etiam
familiare sibi reddendi ut recurrentibus terminis resp n-
den-*

deutes notiones sponte veluti sua mentem habeant. Exant-
 latis vero horum laborum molestiis nulli in rerum cogni-
 tioni facti sunt progressus ejusmodi itaque inovandi
 praritus scientiarum incrementa mirum quantum sufflami-
 nat. Verba sunt Philol Gryphis v. Levini Möller
 in Dissert. De Nexu Verit. Log. & Metha-
 phyl.

§. II.

REm aliquam cognoscere dicimur, quando cogita-
 tionem ejus habemus. Hinc ergo cognitio ni-
 hil aliud est, quam alicujus rei cogitatio, sive a-
 ctus, quo de re aliqua cogitamus.

Schol. Hæc definitio ab illa Wolfi in Pychol.
 Emp. §. 52. ubi cognitionem definit per actio-
 nem animæ, qua ideam vel notionem acquirit,
 nihil plane differt. Quod vero si ita esset, a nostrâ
 tamen retinenda nos vix atque ne vix quidem
 deterreret, cum non tam de consensu Wolfi,
 quam de ipsa veritate, mille Wolfis multo ca-
 riore solliciti simus. Auctoritatis enim omne præ-
 judicium tanquam grave & intolerandum quod-
 dam rationis jugum nobis penitus excutere jam
 pridem serio conati sumus. Hinc Wolfium quan-
 tumvis illustrem non superstitiose colimus, quin re-
 ctiora melioraque edocti ab illo toti dissentire
 nulli prorsus religioni ducamus. Quod autem u-
 triusque definitionis convenientiam atinet, eam
 quisque facile perspexerit, qui modo paulo accura-
 tius

4
tius perpenderit, neque ideam neque notionem acquirere sibi animam posse nisi ipsam rem, cujus idea vel notio est comparanda, perceperit, perceptæ autem conscia fuerit (per def. ideæ & notio- nis), adeoque non nisi de eadem cogitaverit (§. præc.). Nemo itaque non videt receptum vocis significatum nos non mutasse, sed mutatio- nis tantum speciem quendam adesse. Definitio- num enim condendarum is finis & scopus est, non modo ut aliis innotescat, quænam notiones, cum terminis sint connectendæ, verum etiam, ut fecunda suppetant alias veritates demonstrandi principia. Prout igitur demonstrandi varia ince- ditur via & methodo, alii atque alii in definitiones recipiendi sunt characteres, qui tamen omnes in una eademque re designanda amice conspirant, unde etiam est quod definitiones nominales arbi- trariæ appellari soleant.

Sed revertimur ad propositum nostrum in cognitionis vocabulum ulterius inquisituri. Usus igitur loquen- di in consilium adhibentes deprehendimus, cogni- tionem quam hic pro actu sumimus quemadmo- dum ex definitione patet, statum quoque denotare & tum nihil aliud quam illam mentis perfectionem qua ubicunque libuerit, de re aliqua cogitare possumus, designare.

§. III.

Quæcunque mutationem aliquam in nobis exci- tant

tant, dicuntur nos *afficere* sive *in nos agere* vel *operari*. Quæ vero in nos operantur vel agunt, *res nobis præsentis* audiunt; & sunt quidem vel *externæ* vel *internæ*; illæ menti mediate mediante nimirum corpore organico nostro, in quod impressionem producant; hæ vero ipsæ sunt operationes mentis adeoque ei immediate præsentis sunt. Quando autem res nobis præsentis percipimus eas *sentire* dicimur. *Sensationes* igitur sunt rerum præsentium perceptiones; ipsa vero facultas sensationes habendi, vel si mavis res præsentis percipiendi *sensus* nomine venit.

Schol: Nihil in his definitionibus continetur, nisi quod cuius vel ad usum loquendi vel ipsam quoque domesticam experientiam cogitationem levissimam inflectenti adeo clarum perspicuumque iudicamus, ut operam & oleum perderemus, si aut majus robur, aut plus lucis iis conciliare & affundere conaremur. Ad alia igitur festinamus.

§. IV.

Cum sensationes sint perceptiones rerum præsentium; res vero præsentis sint vel *externæ* vel *internæ* (§. 3.): patet hinc *sensationes vel externas vel internas esse*. Cumque sensus sit facultas sensationes habendi: (§. 3.) simul constat *sensum quoque vel externum vel internum esse*.

§. V.

Fns *singulare* sive *individuum* dicitur, quod omnimode determinatum est; *universale* autem quod omnimode determinatum non est.

§. VI.

§. VI.

Quæcumque actu existunt, sunt individua sive entia singularia.

Schol. Hanc propositionem in Methaphysicis demonstratam supponimus. Inde ergo eandem mutuo acceptam hic lemmatis loco ponimus, & ceu experientiaæ quoque conformem assumimus.

§. VII.

Per sensus cognoscimus tantum individua, sive entia singularia. Nam sensus est facultas res præsentis percipiendi (§. 3.). Res vero præsentis actu existunt, quoniam in nos agunt vel operantur (§. 3.). Actus igitur existens, quæcumque sensibus percipiemus, adeoque etiam quæcumque per illos cognoscemus. Nihil enim cognoscimus, nisi quod cogitamus (§. 2.), & nihil cogitamus nisi quod percipimus (§. 1.). Cum igitur quæcumque existunt, sint individua (§. 6.); non nisi entia singularia sive individua sensuum beneficio cognoscimus,

§. VIII.

Per sensus non cognoscimus entia universalia. Quæcumque enim per sensus cognoscimus, sunt entia singularia. Universalia autem non sunt singularia. Singularia enim sunt omnimode determinata (§. 5.) & universalia omnimode determinata non sunt (§. 5.). Per sensus igitur non cognoscimus universalia.

§. IX.

Per sensus non cognoscimus causas rerum. Causa enim est id, quod in se continet rationem existentiaæ

9
tiae alterius sufficientem (per def.) Nexus autem
est ea plurium relatio, vi cuius unum in se con-
tinet rationem alterius (per def.). Quicumque i-
gitur causam cognoscet, is nexum rerum perspi-
cere debet. Enimvero nexum rerum perspicere
rationi competit (per def.). Per rationem itaq;
adeoque non per sensus causas rerum cognoscere
datum est.

§. X.

Effectus dicitur ens, cuius existentiae ratio suffi-
ciens in altero ente continetur. Ex definitio-
nibus igitur causae & effectus invicem collatis,
mutua horum relatio, vi cuius cognitio causae
cognitionem effectus & vicissim involvit, sine ul-
teriori demonstratione patet. Cum igitur causas
rerum per sensus non cognoscamus simul sponte
veluti sua fluit (§. 10): *nos neque earum effectus o-
pe sensuum cognoscere posse.*

§. XI.

Idea est collectio sive complexus affectionum qua-
rundam alicujus rei in mente expressarum.

§. XII.

Quarum rerum nullam habemus ideam, eas neque per
sensus nos cognovisse dicere licet. Quidquid enim
cognoscimus, illud cogitamus (§. 2). Quic-
quid cogitamus, illud percipimus (§. 1.).
Quicquid percipimus, illud nobis representa-
mus (§. 1) Quicquid nobis representamus
ejus affectiones in mente nostra exprimuntur (§. 1.)
Cujuscunqve rei affectiones in mente exprimuntur,

ejus ideam consequimur (§. 11.) Quicquid ergo per sensus cognoscimus, ejus ideam habemus, ad-
eoque quarum rerum nullam habemus ideam, eas
neque per sensus nos cognovisse dicendum est.

§. XIII.

Experientia est cognitio per sensus acquisita.
Schol. Experientia vocabulum varium & diver-
sum immo valde improprium admittit significatum.
Interdum enim experientia vocatur ipsum phænomen-
on vel tactum naturæ quod sensibus percipitur.

Haud etiam raro propositio, quæ exprimit &
effert cognitionem per sensus acquisitam hoc nomine
venit. Neque vero apud scriptores infrequens est il-
la vocis acceptio, quæ eousque extendunt experi-
entia limites, ut ambitu ejus complectantur, quic-
quid ex experientia proprie sic dicta immediate
sive per unicum ratiocinium derivetur. Nos ve-
ro propriam & genuinam, quam amplexi su-
mus significationem constanter retinebimus.

§. XIV.

Experientia est cognitio per sensus acquisita (§.
13.). Sensus autem in externos & internos
dividuntur (§. 4) Experientia igitur in externam &
internam recte quoque dispescitur.

Schol. Occurrit vero nobis & alia experientia
distinctio inter *observationem* sive *experientiam vulgarem*
& *experimentum* sive *experientiam artificialem*. *Observa-*
tio est cognitio phænomeni sine opera accedente

nostra contingentis, E. gr. Phænomenon illud, quod iridem vocamus in aëre conspicitur absque omni opera nostra. Videmus in atmosphæra lineam curvam variis coloribus distinctam, guttulas aqvotas in aëre hærentes, & solem in opposita regione orientem. Quando vero hæc intuemur nobisque consensum sumus eorum, quæ nudis oculis cernimus; iridem observamus. *Experimentum* vero est cognitio phænomeni, quod variis rebus nostra demum opera conjunctis vel separatis scilicet, quod ope instrumentorum & machinarum existit. E. gr. Sumatur globus concavus; repletur aëre; aëre autem repletus ad bilancem appendatur & gravitas ejus determinetur. Hinc ope antliæ pneumaticæ omnis aër educatur; aëreque educto gravitas ejus iterum exploratur; quo facto, experimento mihi innotescit, gravitatem globi minorem esse, quam erat antea cum adhuc plenus esset.

Interim vero, ut hanc distinctionem inter experimentum & observationem multum respiciamus, tractationis ratio non postulat, siquidem generalia hic tantum tradere statuimus. Verum commemorata discrimina, ut species ad experientiam tamquam genus suum referendas consideramus. Cum itaque speciebus sit tribuendum quicquid generi competat; quicquid de experientia demonstratur, id etiam de experimento & observatione nec non de experientia interna & externa valet, adeo ut non opus sit idem seorsim de omnibus speciebus evincere.

§. XV.

EXperientia est cognitio per sensus acquisita (§. 13.) Quæcunque igitur per sensus cognoscimus, ea nos experientia docet, & contra quæcunque per illos non cognoscimus ea neque experientia docet. Per sensus vero sola cognoscimus individua (§. 7.), universalia vero, causas rerum & effectus per illos non cognoscimus (§. 8 9); nec quarum rerum nullam habemus ideam, eas per sensus nos cognovisse dicere possumus (§. 12.). *Experientia itaque tantum docet individua sive entia singularia; universalia autem causas rerum & effectus nequaquam docet, nec, quarum rerum nullam habemus ideam eas experientiam nos docuisse, dicendum est.*

Schol. Quamvis vero experientia universalia, utpote quæ, quæ talia non existunt, minime doceat; non ideo tamen omnem viam vi experientia ad universalia perveniendi præclusam esse existimandum est, quin potius probe omnino tenendum, ope ejus aditum patere ad notiones universales distinctas & adæquatas, immo ad ipsas definitiones atque propositiones cum categoricas, tum hypotheticas universales, quemadmodum solide ostendit Celeb. Wolfius in Log. Lat. Part. 2. Cap. 2.

§. XVI

Vitium (subreptionis in experiundo est error circa experientiam.

Schol. Notandum vero est, terminum vitium subreptionis etiam in doctrina de fallaciis adhiberi sole-

folere, ubi fallacia illa, qua plus vel minus est in conclusionem, quam in præmissis hoc nomine appellatur.

§ XVII.

Cum vitium subreptionis in experiundo sit error circa experientiam (§. 16.); error vero sit cogitatio falsa, siue sit assensus propositioni falsæ datus (per definit): sequitur vitium subreptionis in experiundo in eo consistere, ut pro experientiis venditemus, quæ experientiæ vel esse nequeunt, vel esse quidem possunt, sed reapse tales non sunt.

Circa duplicem ergo Generalem casum omne versatur subreptionis in experiundo vitium, ad quem adeo redeunt quæcunque de dicto vitio breviter jam dicturi sumus.

§ XVIII.

Quoniam vitium subreptionis in experiundo in eo consistit, ut pro experientiis venditemus, quæ tales non sunt (§. 17.); iudicia autem quæcunque ex experientis derivata & quatenus sunt inde derivata non sunt ea ipsa, quæ experimur, siue non sunt ipsæ experientiæ: quicunque ergo iudicia ex experientis deducta siue vera fuerint, siue falsa ero i. si experientis substituit vitium subreptionis in experiundo committit.

Schol. In recensendis rebus gestis saepe animi destinatio cum factis confunditur. Nam iudicium historici de interno agentis consilio, per subreptionis vitium, facto adscribitur, quod tamen solum homines experti sunt. Inde vacillans historiarum fides; inde illa enormia partium studia, qui-

quibus homines jam ante occupati, adscribendas historias accedunt, praedicta sua magis, quam vera & vera facta enarrantes. Verba sunt Clariss. Canzii in Philol. Wolf. Consensu. cum Theol., p. 734. Neque vero fallitur Canzius, quando auctoritatis praedicta subreptionis vitio originem suam debere dicit. Cum enim, inquit, a praeceptore Academico, cui multum tribuit, discipulus, auribus accepit sententiam; tum illam doctoris auctoritatem ad sententiam transfert, eaque quod veritatis opinioni deest, non difficulter compensat. Putat igitur, se sufficientes audivisse veri rationes, quas tamen non audit, sed suo demum iudicio perverso supplevit ex auctoritate tradentis. Vid. cit. lib. p. 735. Si qui autem sunt, qui vitii huius subreptionis in experiundo se se reos reddunt, fanaticorum & enthusiastarum pestifera turba id omnium maxime facit. Fanatici ethnicis priscis dicebantur, qui vi numinis interi-ori se agitari fingebant. Quare circum fana, furore fanatico adflati, bacchabantur, caput iactantes, & responsa edentes per furorem. Syrus quidam nomine Eunus, fanatico furore simulato, dum Syriae Deae comas iactat, ad libertatem & arma servos, quasi numinum imperio, concitavit, idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Verba sunt Flori Lib. III. Cap. 19. p. m. 152. Hodie vero Theologis fanatici sunt, qui divinitus & αὐτοφύωα statuere aliis videntur, ac si mentis non latis, compotes essent. Unde, ab enthusias-

mo

mo in eo saltim differt fanaticismus, quod fanaticismi vox latius pateat, & iis etiam tribuatur, qui generatim absona & inepta, maleque coherentia dogmata, aut spargunt, aut spargere videntur; et si nec revelationes jactitent, nec visiones, aut motus suos atque instinctus pro divinis venditent. Conf. Budei Theol. Mor. P. 1. Sect. V. C. 1. §. 12. Cum ex hac qualicunque descriptione, tum in primis ex ipsa Theologia Polemica constare arbitror, a fanaticis atque enthusiastis circa experientiam spiritualem gravissimos committi errores. Et licet operæ quidem præmium esset horum infelicitum hominum somnia & deliria recensendo (si eorum modo iniri numerus posset) ostendere quod subreptionis in experiundo vitii haud immerito a nobis aculentur; cum tamen Theologorum sacra hic attingere nobis in philosophorum catervis versantibus vix concessum fuerit; B. L. ad ipsos fontes remittimus, unde desiderata cognitio hauriri potest. Legi vero in primis merentur, quæ, de hoc argumento pro more suo solide commentatus est Celeb. Canzius in cit. Lib. de Consensu Philos. Wolf. cum Theol. p. 741. seq.

§. XIX.

Vitium subreptionis in experiundo in eo consistit, ut ea pro experiendis habeamus, quæ tales esse nequeunt, sive quæ experientia nequam docet (§. 17.). Cum itaque experientia nunquam doceat universalia (§. 15.): quicunque uni-

*versales propositiones pro ipsis experientis venditat, viti-
am subreptionis in experiundo committit.*

Schol. Nihilominus propositiones per inductionem primariam immo etiam secundariam formatæ loco ipsarum experientiarum a Physicis interdum adhibentur, cum ejusmodi tamen propositiones universales sint, quippe quæ inveniuntur universaliter inferendo [de superiori, quod de singulis inferioribus sub hoc comprehensis affirmatur vel negatur (per ppia Logica.) E. g. Si quis diceret experientiam testari, *fluida gravia in vasis solidis porosis contineri non posse*, non ipsam experientiam, quæ circa sola versatur individua, sed propositionem per inductionem formatam afferret. Sin diceret, experientiam docere, *aquam, cerevisiam, vinum, spiritum vini &c. per lintamina, chartam emporeticam, arena vel terra friabilis cumulos transire & in his corporibus excavatis tamquam in vasis contineri baud posse*, ipsam exprimeret experientiam, sive cognitionem sensu acquisitam. Et ex hac propositione per inductionem licet falsam collecta demum atque inventa est prior illa universalis. Dico autem hanc inductionem falsam esse, quoniam non est universaliter verum, fluida gravia in vasis porosis solidis contineri non posse. Mercurii enim, quamquam sit fluidum grave, aliquot libræ, in iisdem corporibus porosis conservari possunt, per quæ ne guttula quidem aquæ a transitu coerceri potest. Si vera itaque erit inductio, sic est determinanda: *fluida gravia in vasis porosis, &*
quorum

quorum partes fluidi partibus sunt specificè graviores, contineri nequeunt. Bene itaque Hambergerus in Elem. Phyl. §. 27. Errant igitur, inquit, qui quamquam phenomenon in diversis corporum speciebus non sit observatum, istud tamen terminis generalioribus non nisi per inductionem inveniendis experimunt. v. gr. experientia docet, aquam fervidam, citius, durante evacuatione campanæ ab aëre, sub qua haeret aqua, calorem dimittente, ea quæ in aëre naturali conservatur. Qui igitur loco circumstantiarum specialissimarum, quæ sunt aqua fervida & tempus evacuationis ab aëre, generaliores, adhibens terminos & phenomenon sic exprimunt: calida corpora citius calorem in vacuo spatio, quam in aëre liberiore dimittunt, actu errant & in simili causa semper errare possunt.

§. XX.

Quoniam vitium subreptionis in experiundo in eo consistit, ut pro ipsa experientia venditur, quod talis esse nequit, sive quod experientia minime docet (§. 17.); enimvero causas rerum atque effectus experientia plane non docet (§. 15.); Quicumque ergo experientiæ in causas rerum & effectus docere affirmat, vitium subreptionis in experiundo committere censendus est.

Schol: Simile quid contingere observamus circa doctrinam de influxu phytico animæ in corpus. Corpus enim ab anima moveri, proprie loquendo non experimur. Id solummodo confirmat experientia, corpus sanum simul moveri, atque anima, serio & constanter, illud in hanc aut istam

plagam moveri, velit. Experimur itaque, motum corporis & animæ adperitum fieri simul, alterum alterius causſam phyſicam eſſe, ex eodem principio non cognoviſimus. Nempe ſi quod alterum alterius cauſa ſit ratiocinari placeat; ex altero alterum intelligi ut poſit, necesse eſt. Ita etiam cum primum ſol oritur, explicatur dies, quod quidem experientia docet quotidiana. At vero diei cauſam ſolem eſſe, non ex eo duntaxat colligimus, quod alterum cum altero coexiſtere experiamur; nam & phosphorus eodem ut plurimum tempore quo dies, adparet, cujus tamen cauſa non eſt. Verum inde demum concludimus diei cauſam ſolem eſſe, quia intelligere licet, quo modo radii ſolares corpora circumjecta, ſuis reflexionibus ad oculos noſtros pertinentibus diſcernenda prabeant. Accipe vero & alia exempla. Claudatur dolum cereviſia perfecte repletum & in aere liberiore ſubiſtens, ſuperius exacte. In loco doli interiori perforentur parietes ita ut aperturæ diameter ſint una vel quatuor circiter lineæ; nec per aperturam factam profluat cereviſia. Sit porro in aere liberiore cylindrus cavus ſolidus ultra 32. pedes altus: Hæreat prope interiorem cylindri aperturam aquæ immerſam alius cylindrus ſolidus, mobilis quidem, & minoris altitudinis, exacte tamen cavum cylindri prioris claudens. Et teſtatur experientia, elevato cylindro minori intra majorem aſcendere aquam in cylindro cavo ad altitudinem uſque circiter 30. pe-

pedum ultra superficiem horizontalem, quam extra
 cylindrum cavum possidet. Vid. Clariss. Hamb.
 Elem. Phyl. §. 37. seq. Si ex his similibusque ex-
 perimentis hanc formarem thesin eamque pro ex-
 perientia venditarem: *Aër, in corpore cavo superius*
clauso, & ab aëre aquæ ac alio fluido sensibili vacuo, in-
ferius vero aquæ immerso aquam sub altitudine 30 circiter
pedum, alia vero fluida sub ea retinet altitudine, vel ad
eam elevat, quæ est ad dictam aquæ altitudinem in ratione
inversa gravitatum specificarum fluidorum aquæ, vera qui-
dem dicerem minime vero experientiam pronun-
ciarem, sed iudicium quamquam verum, confun-
derem cum experientia: quia in hac thesi aër
tamquam causa & repletio vacui determinatæ al-
titudinis, tamquam effectus pronunciantur. Erro-
neum vero simul, & sic experientiæ loco mi-
nime ponendum foret iudicium si affirmarem,
experientiam his experimentis docere, dari metum vi-
scui, vel naturam ita abhorrere a vacuo ut quid-
vis potius moveat, retineat vel elevet contra na-
turale pondus, quam spatium relinquat vacuum.
 Non enim spatium ab omni corpore vere vacuum esse,
 non metus nature in sensus incurrunt, ergo hæc non
 constant per experientiam. Experientia docet,
 post combustionem fomitis, ex linteaminibus ad
 nigredinem usque flamma destructis parati, super
 lapide frigido, v. gr. pyrite vel marmore, repe-
 riri sub cineribus fomitis, in superficie lapidis, ali-
 quot aquæ guttulas. Hoc pænomenon, qui ita

pronunciant: *Experientia docet ignem elicere aquam ex silice*, iudicium certe cum experientia confundunt: sensus enim non percipitur, has aquæ guttulas ex silice produsse, vel ignem huius exitus facti esse causam efficientem.

Post grave & per aliquot dies durans frigus, si subito calida humidaque sequatur tempestas, experientia docet, parietes ædificiorum lapideos obduci materia quadam niviformi, quæ interdum in glaciem abit. Hoc phænomenon qui sic pronunciant: *post grave frigus, si sequitur subito tempestas calida frigus e lapidibus prodit*, fallum iudicium cum experientia confundunt. Sensus enim non percipiunt istud quod prodit esse frigus sive materiam frigefacientem, vel hanc ipsa materiam niviformem fuisse prius in lapidibus & inde produsse, sed hæc mens iudicat. Fallum vero hoc esse iudicium inde patet, quia mens modum non percipit, quo tempestas, præcedente magis calida & humida, talem niviformem materiam ex lapidibus elicere possit vid. *Hamburg. Elementa Phyl § 508. & 509.*

§. XXI.

Vltima subreptionis in experiundo in eo consistit, ut experientiæ loco substituatur, quod rationale non est, sive quod experientia non docet (§17.) Quarum autem rerum nullam habemus ideam, e-

as experientiam nos docuisse dicendam non est (S. 85.). Quicumque igitur ea se expertum esse affirmat, quorum nullam habet ideam, subreptionis in experiundo vitii reus est judicandus.

Schol. E. gr. actionis cujuscunque in distans nullam habemus ideam, siquidem prorsus est impossibilis. De hac autem ficta actione Physicorum nonnemo recte dicit: *qu'on ne sauroit concevoir, comment deux corps peuvent agir l'un sur l'autre sans se toucher reciproquement.* Errant igitur, qui eandem se expertos esse asserunt. Huc vero etiam pertinent superius adlatum exemplum ex influxu physico animæ in corpus peti- tum, de quo ita Cels. Wolffus in Log. Lat. S. 667: *influxus, inquit, anime in corpus, nullam prorsus habemus notionem, nec dum ad voluntatem anime moventur organa corporis quicquam eius percipimus perperam igitur dicitur, quod eundem experiamur.* Uterius vero ibid. *pergens de vi attractiva magnetis dem affirmat. Similiter, inquit, vis attractiva magnetis, quatenus eam pro causa phenomēni attracti a magnete ferri venditamus, nullam prorsus notionem habemus, nec eius quicquam percipimus, dum ferrum a magnete attrahi observamus.* Errat igitur affirmans se vim attractivam magnetis experiri, aut per experientiam eandem patere. Ad ea porro, quorum omni caremus idea, referimus sympathias & antipathias in Physicam Scholasticorum in- vectas. Sensus enim externi odium & amicitiam,

quipo

22.
quippe affectus entis simplicis percipere non va-
lent, nec mens perspicere potest phænomena huic
relata, iræ vel amoris esse effectus. Possemus sex-
centa alia his addere exempla, sed cum scopo a-
bunde sufficiant, quæ jam sunt adducta, finem le-
vi huic opellæ imponimus, benignam Candidi
Lectoris magis, quam justam expetentes
centuram.

T A N T U M.



Til Herr Respondenten
 JOACHIM von GLAN
 Min Högtårade Broder.

Någ aldrig warit wahn i bundit tahl at skrifwa,
 Jag aldrig wägar mig på Helicon at klifwa;
 Doch lærer jag få lof wid branta roten stå
 Af detta helga berg och sånda strängar stå,
I korhet, hållst då jag med mycket nöje hörer,
 At Du min **BROD** i dag **DIN** lärda tunga röder,
 At dömma ut de fehl som man, Gud bättre, wet
 Sig **SMYGG** **SMYGG** in u i **SMYGG**.
 Det fåta wänstaps band som sp. da äldren knutit
 Emellan mig och **DIN** och aldrig skal bit brutit,
 Gide at med mager ~~ter~~ jag wägar mig framte
 När på de lærdas rum jag **DIN** **DIN** **BROD** får se.
DIN lärdom hwarmed Du de lærdas tocke wunnit,
DIN Dögd som afwund self ännu ej swäta hunnit
 De lyfa blage kwi med ere fördubblat skien
 Och wita at **DIN** hog från **SMYGG** **SMYGG** **SMYGG**
 är ren.
 Gud tåt lyckfällighet **DIN** trogna slit belöna,
 Och Du **DIN** **BROD** med frögd må himlens godhet rdna,
 Och at af **SMYGG** gods och den **SMYGG** **SMYGG**
 Du af dem får ej **SMYGG** in **SMYGG** som gie förtret.

Önskar af hieetat
 Min Hög årade Broders
 hörsamsie tienare

WILHELM GNOSELIIUS
 Den yngre.